Nr. praes. 145.

XIII.

NOS

JOSEPHUS ALOJSIUS

Liber Baro Pukalski

DEI ET APOSTOLICAE SEDIS GRATIA

EPISCOPUS TARNOVIENSIS

Suæ Sanctitatis Prælatus domesticus, Solio Pontificio Assistens, Comes Romanus, Eques c. r. Ordinis Coronæ ferreæ II. Classis, Commendator Ordinis c. r. Austr. Francisci Josephi, Membrum Comitiorum Regni Galiciae, Præses Commissionis pauperum Tarnoviæ &c. &c.

Salutem et apostolicam benedictionem!

Ineffabilis Misericordiae Divinae beneficio et dono vigesimus jam currit annus a die, quo Divina Providentia ad sublime munus Episcopi istius Dioecesis vocatus, prima vice solium episcopale conscendi; mihique hoc grave munus in humeros suscipienti, eo tempore prima vice copia data fuit, verbum ad Vos Venerabiles Fratres! faciendi, Vobisque apo-

stolicam benedictionem impertiendi. Eo solemni die ac momento animum meum minime fugere potuit, quam grave muneris et officiorum pondus, fragilibus utique et insufficientibus humeris meis impositum haeserit, quod etiam palam coram Vobis effari minime haesitavi; jamque propterea haud exiguas angustias, pavoremque sustinui, qualis invadere solet animum, qui ad sublimiora vocatus, tamen illuc prospiciens, cognoscit se, ex eo quod in ipso est, minime ad celsitudinem hanc elevare valere. Sed iterum idem omnipotens Deus qui mundum universum conservat ac gubernat, ita animum singulorum dirigit, eisque tanta largitur gratiae dona, quibus et talia attingere valerent, quae primo obtutu impossibilia accessu videantur.

In his etiam Divinae Providentiae auxiliis ac gratiae Dei donis, omnem spem omnemque fiduciam collocavi, ibi lumen et fortitudinem spiritus, ibi consolationem quaesivi. Et non vana fuit haec spes mea.

Sed neque haec animo revolvere neglexi: magnam partem adjutorii in munere episcopali gerendo, e Vestro labore et indefessa sollicitudine, ac diligentia in adimplendis omnibus status et vocationis sacerdotalis officiis adhibita derivari; ideoque Vos ad orationem, et indefessum zelum in omnibus partibus vocationis sacerdotalis exhibendum hortatus sum. Et Omnipotenti Deo Summa sit Laus et gloria! etiam hoc obtutu non inanis fuit spes mea. Durante hoc tempore quo Dioecesis istius gubernacula tenere mihi a Deo datum est, omnes paucis exceptis, officiis vocationis Vestrae non defuistis, cujus rei testimonium eloquens praebent, tot Ecclesiarum parochialium et ad easdem congregatorum fidelium coetus catholici, qui in una intemerata fide in una doctrina genuina a Jesu Christo et Apostolis tradita firmiter perseverant, moresque huic doctrinae conformes observant; non obstantibus tot ac tantis seductionum momentis, quae undequaque Ecclesiam affligunt, et non tantum fideles sed etiam sacerdotes a Christo avertere, et ad impia hujus saeculi commenta sequenda, fortiter allicere conantur.

Quales enim turbines et qualia pericula Ecclesia catholica, hoc temporis decursu subire coacta sit, superfluum duco, ut uberiorem enarrationem eorumdem texere Vobisque ob oculos ponere praesumam, haec enim propriis oculis intuebamini, eorumque tristis memoria procul dubio menti Vestrae alte infixa haeret; non possum vero silentio premere illa pericula, illasque aerumnas quae in Ecclesiam Romanam ejusque Supremum Antistitem, totius Orbis Catholici Summum Pastorem, Pontificem Romanum Vicarium Jesu Christi Visibilem Pium IX. ruunt. Is quidem in exordiis sui Pontificatus, etsi a primis initiis ab ipsis quoque astutis et perversis Fidei et Sedis Apostolicae inimicis ad astra elatus, mox, quum interiora pessima eorumdem consilia perspexisset, eisque frenum injicere constituisset, tantis ab eisdem obstructus est insidiis, et obrutus persecutionibus, ut in alienum regnum exulare, vitamque propriam salvare melius duceret. Jam eo tempore Orbis catholicus suum Pastorem Supremum et Optimum Patrem adeo afflictum considerans, exclamare cum Discipulis Domini minime haesitavit. „*Domine salva nos perimus*“! *Math. VIII. 25.*

Salvavit etiam Dominus suum Vicarium Ecclesiaeque tribulatae consolationem tribuit, nam Pius IX. Romam Gallorum armis sibi recuperatam reversus tronoque S. Petri restitutus est, quin tamen certa et perdurans haec victoria fuerit, extincto nimirum incendio, nunquam non ignis sub favilla latuit, qui ab adversariis in latebris serpentibus continuo nutritus, tandem anno elapso in pejus incendium prorupit. Nostis armorum strepitum funestis illis diebus sacrilega manu a regimine Italiae excitatum, tristes ejusdem sequelas et desolationes, quarum perpetratores culmen injustitiae eo attigere, *quod dominationi terrestri Summi Pontificis excidium decreverant.*

Summus Pontifex modo longe pejore ac prius quum Gäetae exul moraretur sorte premitur; nam ibi exul quidem sed inter *amicos* et devotos Sedis Apostolicae filios et *defensores* versabatur, modo autem captivus inter *agmina furentium hostium* detinetur.

Litteris Nostris pastoralibus de 30. Octobr. 1870. (Cur. XVIII.) et iterum de 8. Maji 1871. (Cur. X.) exposuimus Vobis, quorsum omnes hi violenti tendant assultus, et quod non ipsam solummodo dominationem terrestrem Summi Pontificis Romani ferantur, verum hac eversa *ipsi quoque spirituali primatiali Ejus potestati qua ex ordinatione Jesu Christi universam Ecclesiam regit et gubernat exitium parare intendant*, quae impia eorum consilia jam magis in lucem prodeunt, quum Pio IX. nec tantum libertatis relictum sit, ut supremum Pastoris munus in Ecclesia gubernanda placite exercere possit. Adest heu lacrymabile tempus modo, quod calamo notarunt Apostoli: „Pseudoprophetae inducunt sectas perditionis et multi sequuntur eorum luxurias, per quos via veritatis blasphematur" 2. Petr. 2, 1 — 3.

Insipientes increduli, — uti alias jam dixi, loquuntur falsa sub praeclara virtutis pietatisque specie, auditum a sana doctrina avertunt, fabulas suas et mendacia longe lateque spargunt, omnem memoriam Dei, vitae futurae aut mortis aeternae, e foco paterno, institutis juventutis scholasticae radicitus evellere conantur, quod millenis millibus sanctum, tam in Ecclesia quam in civitate, vinculis foederis sancti connubii, bonis terrestribus, verbo nexu sociali - eliminare et bellum perpetuum indicere, ordinem publicum evertere, sponsamque Christi Ecclesiam destruere intendunt. Anne etiam nunc non exclamabimus: „*Domine salva nos perimus*"? Utique integer Orbis catholicus ardentes ad Deum preces dirigit et uno ore canit: „ *Erubescant et conturbentur vehementer omnes inimici mei: convertantur et erubescant valde velociter*" Ps. VI. 11. confidens verbis Christi: „*Et portae inferi non praevalebunt adversus eam*" Math. XVI. 18. Dominus autem preces has et spem in Eo collocatam non obstantibus hostium triumphis non fallit; nam etiamsi hostes Ecclesiae quod armis terrestribus confisi desiderabant, obtinuerint, victoria temulenti triumphos celebrent, et Summus Pontifex duras captivitatis aerumnas in patientia sustineat; tamen universus Orbis catholicus summa et justa indignatione impia haec et funesta sacrilegia perpetrata

vituperat, damnat et cum Summo Pastore suo Pio IX. persecutionem, afflictionem doloremque participat, plangit justamque retributionem a Deo sperat. Neque etiam propterea numerus fidelium cum Sede Romana junctorum diminutus, aut fides labefactata est, immovero ex omnibus etiam dissitissimis orbis terrarum oris, diversissimarum nationum, etiam inter barbaros, nuncii et deputati ad limina Apostolorum properant, quemadmodum id occasione jubilaei Pontificatus Pii IX. obtinuit, ut Eidem Summo Pontifici fidei, subjectionis, obedientiae, venerationis et filialis devotionis sensa, condolentiaeque affectus exprimant; ipsius quoque Italiae incolae in avita fide perseverantes ejusmodi deputationes e variis urbibus ad Sanctam Sedem eo fine ablegarunt, demum et Urbis Romae cives et incolae catholicae Religioni addicti, eandem strenue et intrepide profitentur, variasque persecutiones et pericula istius Religionis ergo sustinent, fidelitatemque Summo Pontifici utpote legitimo Domino suo et terrestri principi debitam, sanctam inviolabilemque custodiunt. Novissimo tempore magnus numerus talium deputationum Romam advolavit, quia die 23. Augusti anni currentis Pius IX. praeter *annos* etiam *dies* Petri, 25 annum in Pontificatu superantes consummavit. Juxta enim antiquissimam traditionem S. Petrus 25. annos, duos menses, et duas dies in gubernanda Ecclesia Romana transegit. Quae omnia Pio IX. ineffabile solatium praestant et, ut ipse Summus Pontifex ad deputationes ejusmodi saepius effatus est, totidem praestant Religionis et Fidei catholicae roboris ac fortitudinis, minime aerumnis his debilitatae, testimonia et documenta. His omnibus etiam Nos consolamur et Vos Venerabiles Fratres consolamini.

Meae imprimis consolationi Misericors Deus cui summa sit laus et gloria! novum hoc anno tribuit augmentum, novamque et singularem praeter omnia merita elargitur gratiam. Notum enim Vobis est; me mense Septembri anni currentis, quinquagesimum anniversarium sacerdotii celebraturum. Magna sane et singularis est haec gratia, magnum et singulare donum miserentis Dei, quo ad summas gratias, quantum vitae residuum mihi adhuc su-

perstes est, Deo benignissimo rependendas impellar, verum etiam inter memoratas supra adversitatis Ecclesiae animo reficiar.

Nunquam dubitavi de candido Vestro erga Vestrum Episcopum amore, sinceroque affectu et devotione, hinc etiam spero fore, ut me orationibus Vestris piisque suspiriis ad Deum Omnipotentem praesertim in Sacro Missae sacrificio juvare nunquam intermittatis illo praecipue die quo quinquagenarium meum ministerium Dei consummabitur. *Quo die autem hanc piam memoriam solenniter recolere presumam, specialibus litteris id Vobis opportuno tempore annunciaturus sum.* Certum autem et persuasum Vobis omnibus sit, Vos nulla re majus gaudium mihi paraturos, quam si in posterum quilibet secundum munus vocationis suae officia status sacerdotalis rite et exacte cum genuino zelo adimpleveritis, licet, nec dubito de vigilantia vestra pastorali, quae est vita et anima gregis concrediti, uti ait S. Gregorius: „vita pastoris vigiliae, si gregi cura pastoris defuerit, facile laqueos insidiatoris incurrit“; tandem in pietate quoque ac ferventi amore erga Jesum Christum, Ejusque Vicarium Visibilem, Summum Pontificem Romanum proficere et crescere nunquam cessaveritis.

Gratia Omnipotentis Dei et benedictio Domini Nostri Jesu Christi sit cum omnibus Vobis!

Dabamus Tarnoviae 24. Augusti 1871.



Josephus Alojsius,

Episcopus Tarnoviensis.

TARNOVIAE.
Typis Anastasii Rusinowski,
Typographi ad honores Episcopalis et Consistorii.

Impensis Illustrissimi ac Reverendissimi Consistorii.